

Q. K. 361, 21.

7221



X 1860418

FELICITER!  
DISQVISITIO,  
AN  
EMITTENDO VEL RECIPIENDO  
FIAT VISIO?

QVAM  
PERMISSU INCLUTÆ FACULTATIS  
PHILOSOPHICÆ

P R O L O C O

IN EA OBTINENDO  
DISPUTATIONIS SECUNDÆ  
MATERIAM

ESSE VOLUIT  
D. XX. FEBR. M DC LXXV.

M. QVINTUS SEPTIMIUS FLORENS RIVINUS  
LIPSIENSIS.

LIPSIÆ  
LITERIS JOH. GEORGI.



f. —

M. Q 21.



A Monsieur

MONS. CHRETIEN GUILLAUME

H A H N,

Seigneur de Remplin, Liepe & Henrihagen  
Possesseur de Seebourg.&c.

Monsieur

**J**E confesse franchement, que cette Escriture, dressée  
à Vostre tres-Noble & tres-Celebre Nom, ne soit pas  
de tant de valeur, quelle merite de Vous estre offerte;  
ausi ne veux-je en prendre le subject de sa propre dignité  
pour la Vous dedier, mais plustost de Vos Merites, de  
Vostre singuliere Faveur envers moy & de Vos Bienfaits,  
lesquels je reçois tousjours. Reçez la donc, s'il Vous  
plait, de bon oeil & m'estimez à l'advenir digne de Vostre  
Bienveillance. De mon costé, je prieray Dieu pour Vostre  
Prosperité, & pour celle des Vostres & je seray à mon ordi-  
naire avec un respect tres-profond

Monsieur

Vostre tres-obeissant & tres-obligé  
Serviteur

RIVIN.

Adjuvante Deo!



Vamvis Anima Rationalis sic satis in cognoscendo alacris sit, nec ad terrestrium modò, sed & cœlestium ac divinarum rerum investigationem, subinde penetret. nescio tamen, quomodo ipsa, ubi propriam sui cognitionem suscipit, si non excœcata penitus est, certe cœcutiat. Nam de ejus origine, unitate ac sede acriter & ad ravim usq; hætenus esse disputatum non rationibus modò, sed interdum quoq; conviciis, qui mos inquinare admodum literas cœpit, & illi norunt, qui naturalem scientiam vel saltem supremis, quod dicitur, labiis delibaverunt. Nec minoris momenti ac difficultatis res est declarare Facultates Animæ nostræ, uti vel ex solâ sensitivæ actione Visivâ apparet, circa quam accuratè percipiendam anxie se exercuerunt Eruditi, præcipuè dum vestigarent, Visionis Modum, quorum vestigia premere in præsentî animus est. Ceterùm cum duo præprimis hîc disquiri soleant, utrum Receptione an Emissione Visualium Radiorum peragatur Visio, unumquodq; singulari Capite excutiam. Faxit DEUS ut cœpta succedant feliciter!

CAPUT PRIMUM.

Opinionem de Emissione Radiorum tradit ac refutat.

§. 1. Quæ Visum Emissione fieri asserit, sententiam jam Priscis olim Græcis persuasam fuisse, subtilitatum studiosissimus J. C. Scaliger a.) ex usu loqvendi colligit; quippe ex omnibus sensum designantibus verbis ei, quod visionem significat, non secundum, ut reliquis, sed quartum tantummodò Casum apposuerunt, quasi in Objectum ageret Visus, alii verò sensus à sensilibus paterentur. Et certè Vetustiores dogma hoc agnoscit Patronos, inter quos Ptolomæum, Pythagoram, Empedoclem, Hipparchum, Aliosq; tantum non omnes ante Aristotelem Opticos atq; Philosophos numerant. Post Aristotelis tempora idem docuit imprimis Galenus & Recentiores nonnulli vano Platonis amore ducti b.) quibus eo gravius succenset Scaliger c.) quod post divini Viri iudicium nugas illas non erubuerint amplecti.

a.) Exercit. 298. sect. 1. b.) Th. Bartholinus de luce Anim. lib. 3. c. 11. p. 526. & 531.

c.) d. Exercit. 298. sect. 16.

§. 2. Communiter a. Platónica dici consuevit opinio, ut ex illustri hujus Philosophi nomine ipsa sibi splendorem quendam atq; applausum conciliaret; quamvis non desint Alii, qui eam non ab ipso Platone,

ne, sed ejus Affeclis d.) aliena à mente Magistri sui statuentibus, nomen accepisse contendant. Ajunt n. quod circa Modum Visionis afferuisset eadem Plato, quæ postea Aristoteles, ceu ex Timæo e.) sufficienter constaret, ubi Colorem nominat Flammam è corporibus emanantem radiosq; ab Objecto exire & in visum incidere scribit. Sed irritus eorum videtur esse conatus, cum allegata verba solum probent Platonem statuisse specierum Visibilibus emissionem ex objectis, non simul negent radiorum visualium effusionem.

d.) Vid. Scalig. Ex. 335. f. 5. & Sennertus Epit. Phys. Lib. 7. c. 2. f. 72. e.) Edit. Francof. fol. 1071.

§. 3. Ceterum hæc sententia diversimodè defendi solet & quamplurimis impedita difficultatibus est, quas distinctè & seorsum explicare, explicatasq; figillatim refutare operam dabo. Conveniunt autem in eo omnes, quod aliquid ex oculis, dum vident, emittatur; mox tamen in determinanda hujus Emissionis necessitate discrepant. Quidam enim istam non absolutè requirunt ad peragendam visionem, sed tantum ex meliori emissionem (vide infra §. 24.) perfectiorem judicant. Econtra Alii simpliciter ad Visum necessariam esse statuunt.

§. 4. Absolutam emittendi Necessitatem duabus præcipuè, sed levibus, causis adstruere conantur. Et primò quidem subsidium quoddam in Opticâ quarunt, urgentq; notissimum Canonem: Omne Corpus radiare; Cujus veritate concessâ Oculorum Radiationem se satis probasse gloriantur. Verum quàm intempestivè ac prorsus ineptè ista huc afferantur ex eo apparet, quod radiare corpora dicantur in doctrina de Visu, quando visibiles de se species ac radios spargunt, quibus mediantibus videantur, non ipsa videant. Utut ergò sponte concedatur Oculos æquè ac reliqua corpora Visibiles emittere radios, Visivos tamen exinde colligere nequaquam licebit.

§. 5. Deinde adducunt Exempla Basilisci, Lupi, Lamia, Mulieris menstruo laborantis, quæ solo intuitu, adeoque radiorum visivorum ejaculatione nocere dicuntur. Ac de Basilisco quidem, ut & de Cato-blepa refert Plinius f.) majoris certe studii, quam fidei, Scriptor, eos venenato quodam aspectu obvia omnia necare. Recentiores g.) tamen hæc omnia ut commenta rejiciunt. Quæ autem de lupis h.) somniat vulgus, quasi obtutu suo raucedinem inferant, fictitium ac vanum esse arbitror.

f.) lib. 8. H. N. cap. 21. Conf. Aelianum lib. 7. c. 2. g.) Bodinus Theatr. Nat. l. 3. tit. de Serp. Gen. & Georg. Casp. Kirchner de Basilisco cap. 3.

J. 6.

§. 6. h) Graviter in harum nugarum Assertores invehitur Scaliger Ex. 344.  
Sect. 1. Adde Sperling. Zool. Part. Spec. Lib. 3. c. 16. p. 224.

§. 6. Quod si quis vel maximè credat, intuitu Basilisci interfici hominem, à Lamiis infantes visu effascinari, à Menstruali fœminâ Eboris Speculiq; nitorem maculari: nihil tamen pro stabiliendâ visivorum radiorum ejaculatione obtinebit. Committitur enim fallacia, Causæ, dum radiis visivis falsò adscribitur noxa, quam à malignis venenatisq; humoribus, sive ex oculis sive ex ore procedant, afferri facile largior.

§. 7. Ex eodem fonte derivari Responso potest, si quis urgeat Exempli i) Quorundam, ex quorum oculis prodeuntes radii vitra conspicillorum perforârunt. Singularem enim atq; mirabilem hunc effectum non radius visivus, (aliàs enim hoc ipsum omni semperq; eveniret) sed acrimonia quædam ac corrosiva vis ex oculis egrediens produxit.

i.) Vide Borellum Cent. 3. Obs. 1. & 67.

§. 8. Atq; sic in genere summo, utut inani, ceu vidimus, studio probare allaborant, videntes radios ex oculis egredi; ipsimet tamen in determinandâ horum radiorum quidditate inter se invicem mirè dissentiunt. Nam Alii putant eos esse animales spiritus, per quos Anima functiones suas peragere solet. Hæc sententia Platoni, quamvis quid hæc in parte sentiat, explicitis ipse verbis non exponat, tribuitur k.) ideò, quod ignem ex oculis nostris prodire & cum externo lumine sive aëre illuminato ita conjungi scribat l.) ut unum ex ambobus coalescat corpus. Hinc necessum esse inferunt, ut id, quod exit, corporeum sit, cum è duobus non fieret tertium Corpus, nisi ambo corpora essent: ex Aëris enim & alicujus Accidentis unione Corpus quoddam fieri, non nisi absurdè quis affirmare auderet.

k.) Zabarella lib. 2. de Visu cap. 4. l.) in Timæo fol. 1056. seq.

§. 9. De Galeno certius id constat, qui modum Visionis declaraturus m) spiritum animale ait ad circumfusum aërem egredi & cum eo commisceri, eumq; sibi similem reddere. Et mox: nostram visionem aciem spiritali substantiâ præditam emitti ad extremum aërem & ipsum totum alterare atq; in naturam suam mutare scribit. Hinc Libro de oculis docet extimam pupillæ tunicam ideò non totam pupillam operire, quia si operiret totam, spiritus animales non perforare istam, adeoq; nec egredi possent. Ex quo iterum colligere licet, Galenum statuisse emissionem ipsorum Spirituum Corporeorum,

A 3

quia

quia nudum lumen etiam per non-perforatam, modò perspicuam atq;  
pellucidam tunicam transire posset.

m. ) lib.7. de Placitis Hippocrat. & Plat. cap. 4. & cap. 5.

§. 10. Verùm quantis difficultatibus premantur hujus opinionis de-  
fensores, facile quis intelligit, si primò cogitet de ingenti ista spiritu-  
um n. ) copia, quam vel saltem per aliquot horas continuata visio re-  
quireret. Atqvi compertum est, quam sensibilibiter effluentia & ab-  
sumptio spirituum debilitet vires ac prorsus enervet, uti ex sudoris  
sanguinisq; profluvio affatim dispalescit. Si igitur continuatâ vel  
per exiguum temporis spatium cum sanguine spirituum profusione,  
concidant vires, quid non verendum foret de Visu dies noctesq; non  
rarò durante, si hic in emissionem animalium spirituum confisteret?

n. ) Vossius de Orig. Idolol. lib. 3. cap. 25. pag. 849. Zabarella l. c.

§. 11. Præterea contra effluvium ipsorum spirituum urgeri hoc quo-  
que potest, quod aëre violentius moto ipsos etiam vivos spiritus  
o. ) agitari dissipariq;, atq; ita visum impediri sequatur. At verò con-  
sequens cum veritate & experientia pugnat, quippe ingruentibus im-  
petuosissimis procellis ac turbinibus species nihilominus quietæ ac  
penitus immotæ ad nos perveniunt.

o. ) Vossius & Zabarella ll. cc.

§. 12. His causis permoti Alii non tam ipsos Animales Spiritus  
quam lumen aliquod egredi putant, mediante quo Visio peragatur.  
Hanc in rem adducunt Exempla p. ) quorundam Hominum & Bru-  
torum, quibus de nocte videre licuit. Verum enim verò licet con-  
cedamus splendorem quendam ex oculis nonnullorum Animalium  
emicare, eumq; in tenebris Visum eatenus juvare, ut medium illumi-  
net & visibilem speciem in objecto non procul disito excitet; (quan-  
quam hoc neget Vossius q. ) & Helmontius r. ) negatur tamen sparsi-  
onem istam luminis ad Visionis formale pertinere.

p. ) Collegimus ea in Disputat. de Noctuluculentibus §. 7. seqq.

q. ) d. lib. cap. 26. p. 855. r. ) de Form. Ortu n. 49. & 50. p. m. 114.

§. 13. Etenim quo pacto lumen, merum accidens, sensum aliquem  
peragere & operationes animales exercere queat, non intelligo. Quid?  
quod hac ratione visio nihil aliud esset, quam circumstantis Aëris il-  
luminatio. Atque sic oculus vivens vidensq; si non minus, certè non  
magis atq; Sol, candela, lignum putridum aut alia corpora lucida vi-  
debit, quod absurdissimum est. Adde, quod oculus crebrâ visio-  
ne defatigari non posset, si ea solâ effusione Luminis absolveretur;  
ficuti

sicuti nec Corpora sive interdiu sive noctu lucentia illuminando aërem lassari dicimus.

§. 14. Porro, præeunte Zabarella l. c. quæro, an ex oculis prodians lumen lumine diurno fortius, an infirmius sit: Si fortius aut saltem æquale, necessario ex oculis tenebricoso & obscuro loco existentibus promicabit, ut à quolibet non secus ac solare Lumen conspiciatur. Sin verò debile exiguumq; fuerit, idem ei, quod aliis ejusdem generis omnibus, eveniet; adeoq;, quoniam parva lumina à magnis obfuscarum manifestum est, à solari fulgore, ut prorsus inefficax sit, opprimetur interdiu. Noctu autem vim suam exerere valebit & ejus virtute quodlibet animal videbit, aut minimum eorum oculi visibiles erunt, emissoq; isto visivo lumine splendebunt. Quicquid verò ex dictis concesseris, falsum & absurdum est.

§. 15. Pergo ad Emissionis Modum, quem varii variè quidem omnes tamen absurdè, definiunt. Antiquiores s.) Radium Visivum ad Objectum usq; pertingere & hoc apprehenso visionem fieri arbitrantur. Sed inanis & vana est hæc opinio, sive ipsum animale Spiritum sive Lumen saltem emitti putes. Quis enim sibi persuadebit, tantam Spirituum aut Luminis copiam ex oculis progredi, quæ per tot milliaria ad montes turesq; longè distitas, aut per immensa, prope cælorum spatia, ad sidera procedat? Sanè si Braheo (at quanti judicii Mathematico!) habenda fides est, stellarum fixarum à terra distantia est decies novies millenarum semidiametrorum terræ, aut si mavis Mercennii computationem, vicies millenarum t.) Quis ergò Spiritus, corporeæ substantiæ, tam velocissimè moveri possunt, ut exiguo temporis momento & ictu oculi tantum iter conficiant?

s.) Ptolomæo, Pythagoræ, Hipparcho istam opinionem tribuit Vossius l. c. p. 848. Conf. Plutarch. de Placit. Philos. lib. 4. c. 13. Bartholin. d. lib. 3. p. 521. Meminit quoq; Macrobius hujus sententiæ lib. 7. sat. n. c. 14.

t.) Vide Voss. lib. 2. c. 35. p. 493. seq.

§. 16. Inevitabilem hanc absurditatem agnoscentes Alii, dixerunt radium visivum non ad objectum usq; extendi, sed per aliquantum saltem spacium profluere in vicinum aërem, ibi occurrere ei lumen seu species visibiles ab objecto projectas, cum his uniri lumen ab oculo effluens, atq; in unum Corpus coalescere, & sic tandem Visionem fieri. Hanc mentem tribuunt Platoni u.) Plutarchus, Aliiq; & conjunctionem horum luminum, oculi & objecti, Platoniam *συνάυγαν* seu corradationem nominant.

u.) de Placit. lib. 4. c. 13. Vossius d. p. 848. Bartholinus d. p. 522.

§. 17.

§. 17. Quanquam autem hæc sententia paullo subtilior illâ sit, quam modo refutavimus, ipsa tamen rationibus non paucis destruitur. Feriunt eam, quæ in genere contra emissionem radii optici supra adduximus. Præter ista hoc quoque urgeo, quod illi Autores præter necessitatem multiplicent, quæ paucis expedire poterant. Cum enim ipsi emissionem specierum visibilium, & horum in oculo receptionem fateri habeant necesse, verisimilius est solâ hac sine radiorum visivorum coadjutorio naturam esse contentam, quæ non solet per plura efficere, quod æquè per pauciora absolvere potest.

§. 18. Ipsi quoque Platonici manifestum nobis indicium subministrant, quod sententiam eorum infirmitatis arguit, dum mutui luminum congressus & unionis locum determinare non audent, utrum scilicet juxta oculum, an prope objectum, aut etiam in medio, pari disparive ab utroque distantia fiat. Videatur modo Th. Bartholinus l. c. p. 531. qui modestâ atque ingenuâ obscuritatis confessione difficultatem rei sopire singulari prudentiâ studet.

§. 19. Denique & illud circa Emissionis modum observandum est, quod nec ipsi Autores inter se satis conveniant, an radius opticus ad oculum revertatur, an non. Galenum x.) si inspicimus, videtur ille statuere, visuales radios objectum suum foris apprehendere, judicare & extra oculos permanere. Visum enim à reliquis sensibus in eo differre scribit, quod hi sensibilia ad se venientia expectent, visus verò per aërem medium ad colores videndos porrigatur. Ex quo haut obscure consequitur, Colores cum Lumine, ad apprehendendum eos emisso, non remeare, quia sic visus, non minus ac ceteri sensus, Objectum ad se delatum expectaret. Ex hac hypothese deducit postea Galenus, quâ ratione Visus objecti magnitudinem comprehendat, quia scilicet eam extra Oculum, (cum hujus angustias parvamque pupillam ingredi non posset) amplecteretur & judicaret, verbo, videret. Fundamentum, cui opinionem hanc superstruxerunt, illud est, quod res in proprio suo loco videatur, e. g. arbor in horto, fructus in arbore &c. secus autem fieret, si radii rem visibilem secum in oculum revertentes deferrent.

x.) d. l. 7. de Placit. Hipp. & Plat. cap. 5.

§. 20. Enimverò hujus asserti falsitas aperte conspicitur, si nugæ & ineptias, quas comites habet, spectemus. Nam hac ratione non in animali, sed in aëre visio fieret, adeoque sensus extra sensorium suum



um sentiret, nisi isti Autores aërem in oculi vicem substituere & pro visus organo, secus ac hactenus docuerunt, agnoscere malint. Accedit, quod animati sint radii visivi, si speciem objecti sensilem judicare debeant; quô concessio non tota erit Anima in Corpore Animalis, sed partim extra illud in aëre vagabitur.

§. 21. Argumentum, quo se defendunt, exigui ponderis est. Quamquam enim Objectum visibile realiter & secundum suam substantiam in proprio loco est: Repræsentativè tamen & secundum intentionem suam in oculo quo minus sit, nihil prohibet. Inspiciamus modò specula, ubi se varia Objecta repræsentant, quæ tamen singula proprium, hoc non obstante, locum obtinent. Non dissimilis ratio est in Intellectu, in quo, si solem concipio, hujus intentionem ac intelligibilem speciem teneo, ipse tamen propterea cælo suoque dodecatemorio non deturbatur.

§. 22. Alii radium visivalem post impressam Objecti speciem eadem lineam rectam reflecti & oculum, ex quo exierat, iterum ingredi unam cum specie dicunt. Autores hujus opinionis d. l. citat Plutarchus, non nominat, præterquam Hipparchum, qui radios ab utroque oculo porrectos, extremitatibus suis tanquam manibus apprehendere Corpora extra oculos posita, apprehensionemque eorum visui reddere docuit. Eandem Pythagoræ mentem fuisse testantur y.) Alii, doctrinamque hanc illustrasse simili à pila desumpto, quæ à manu sufficienti impetu in parietem dealbatum injecta, ad manum à pariete repercussa unam cum albedine sibi illitam redit. Galenus quoque, etiam si contrariam foveat sententiam, alibi tamen z.) non parum, certissimo inconstantiæ argumento, in hanc sententiam inclinatur, dum CrySTALLINI humoris conditiones explicans dicit, ipsum esse album, clarum, splendidum, quo aptus esset, ut à coloribus immutetur. Quare supponit colores in eo recipi, cum immutari passionem inferat. Clarius adhuc in libro de oculis ait: humorem esse album ac splendidum, ut cito colores recipiat.

y.) Bartholinus d. p. 521. Nic. Burchard. Repert. Philos. pag. 233. z.) lib. 10. de Usu part. cap. 1.

§. 23. Sed & hic Angustia sunt, quas hi Autores evitare nequeunt. Illi enim, qui aliquousque saltem procedere radium dicunt, declarare debent, quomodo is in aëre reflecti possit, ubi nullum corpus opacum incurrit. Hi verò, qui ad objectum pervenire radios statuunt, Reflexionis velocitatem & longitudinem exponent. Improbabile

B

enim

enim est, radios visivos posse à sideribus per tanta spatia ad oculum  
repercuti, cum solares radii, quibus visuales virtute & copiâ impares  
sunt, à terrâ non longius, quam in mediam aëris regionem repercu-  
tiantur. Incredibile etiam est, radios uno momento ad sidera pro-  
gredi ac regredi posse.

§. 24. Ventilata opinione Eorum, qui visionem in ipsâ emissionem  
radiorum consistere dicunt, restat, ut paucis videamus illos, qui non  
necessariò ad visum emissionem requirunt, hunc tamen, si accedat  
emissio, perfectiorem reputant. Fovet hanc sententiam Capivaccius  
a.) & ut Platonem atq; Galenum cum Aristotele conciliaret, dupli-  
cem visionis considerationem proponit, unam absolutam, quâ in se  
& ratione sui citra relationem ad aliam spectatur; alteram respecti-  
vam, quâ una alteri ut melior & deterior comparatur. Priori modò,  
quod Aristoteles non adversantibus Platone & Galeno fecisset, dicit  
visionem fieri posse per solam specierum receptionem: Posteriori  
modo, si visiones inter se conferas, ea, quæ fortiorem purioremq; ra-  
dium spargeret, melior atq; perfectior illâ esset, quæ debiliorem aut  
minus purum emitteret. Et de hac sermonem esse Platoni & Galeno.

a.) lib. Comment. Anatom. cap. 24.

§. 25. Sed eadem Argumenta Capivaccium stringunt, quæ con-  
tra emissionem adduximus supra. Nam si visio simpliciter non in e-  
missionem, quod ipse fateri cogitur, sed solâ receptione consistit: re-  
spective spectata ea perfectior erit, quæ melius non emittit, sed reci-  
pit. Quare, ut rem exemplo declarem, visus juvenis melior erit visu  
senis, non quia illius lumen emissum fortius & purius, hujus autem  
debilius atq; impurius est; sed quia ætatis flore organum pellucidius,  
adeoque ad recipiendas visibiles species habilius est; in senectute verò  
non æquè perspicuum β.) manet, ac proinde minus aptum ad lumen  
& colores recipiendos evadit.

β.) Ob rugas, quibus obducitur, ut ceterarum partium cutis, sic oculorum  
docente Aristotele l. 5. d. Gener. cap. 1. Adde Scalig. Ex. 76. sect. 4.

### CAPUT POSTERIUS.

Specierum visibilium in oculo receptionem explicat,  
probat, & ab adversariorum argumentis vindicat.

§. 1. Expōsita vanitate sententiæ, quæ Visionem emissionem radio-  
rum peragi statuit, aggredior alteram, quæ eam recipiendo fieri evi-  
denter & perspicue probat. Et primò quidem haut ineptè adducitur  
hic

hinc communis Physicorum regula, quæ ibi, ubi sensorium est, sensum fieri docet. Jam vero cum visio sit Animæ actio permanens, sensorium in homine querendum; & per consequens dicendum est, quod non extra hominem emissione, sed in homine receptione fiat.

§. 2. Deinde hoc patet ex communi sensuum externorum ingenio, quod in eo consistit, ut mediante corporis organo externo objectum sensibile percipiant & se circa illud passivè habeant. Sic auditus fit soni, olfactus odoris, gustus saporis, tactus qualitatis tactilis receptione; Ergò eadem & visus ratio erit.

§. 3. Recipiuntur autem in oculis non ipsa objecta realiter, qui satis crassus nonnullorum a.) error fuit, sed saltem eorum species: non materiales quidem, ut Empedocles b.) voluit, sed intentionales, quæ nihil aliud sunt, quam qualitates immateriales, objecti realis repræsentativæ. Atq; hoc innuit Aristoteles c.) quando omnes sensus sine materia species recipere scribit.

a.) Hanc opinionem Democrito (aliter de eo sentit Vossius l.c.p. 848. & 850) & Leucippo tribuit Scheiblerus de Animâ p. 2. disp. 4. §. 12. Huic classi associari etiam poterunt Durandus, Occamus, Gregorius, qui objecta per se citra ulla species videri arbitrantur, quorum rationes recenset & refutat Horstius L. 2. de Nat. Hum. Ex. V. quæst. 5. & Ægid. Romanus in lib. 2. de Anim. c. 7. tr. 6. q. 5.

b.) Empedocli enim species visibiles sunt corpuscula tenuissima ex objectis educta. Vid. Vossius l.c. Idem statuisse videtur Epicurus, qui teste Galeno de Placit. Hip & Plat. l. 7. c. 7. simulacra corporea a rebus ad intuitum usq; nostrum pervenire asseveravit. Hunc sequitur Fracastorius refutatus à Scaligero Ex. 325. l. 5.

c.) L. 2. de Anima text. 121.

§. 4. Ceterum dari ejusmodi repræsentativas species, fida naturæ interpres, experientia docet. Etenim rubedo, quæ in linteo candido à vino rubello in phiala apposito pingitur, quid aliud est, quam coloris realis repræsentatio? Simili ratione nubes, montes aut arbores supereminentes in purâ fluviali conspiciuntur: & quæcunq; objectis speculo, in eò apparent. Atqui hæ res nequaquam ipsa locum suum mutarunt & sub aquâ aut in speculo reverà existunt: sed earum imagines sunt; quas ab iis effusas & in corpore laxi & simul opaco terminatas conspiciamus.

§. 5. Quod vero hæ species necessariò ad visionem requirantur, ex eò colligitur, quod oporteat rem visibilem conjungi cum vidente; illud enim, quod abest, percipi non posset. At abest objectum materiale, nec hujus cum sensorio realis unitio est possibilis. Ergò necessa-

riò infertur, unionem fieri tantum per species intentionaliter, quæ ad-  
sunt & absentis objecti vices sustinent.

§. 6. Hæ species intentionales non cum externâ superficie oculi  
conjunguntur, si visio fieri debet, sed prorsus ad fundum oculi per-  
veniunt. Quamvis enim id dissimulandum non sit, in exteriori o-  
culorum parte apparere imagines objectorum non longè distitorum,  
cum ea lævis ac terfa sit; unde & Democritus d.) istam repræsentatio-  
nem in corneâ visionis causam esse docuit, impugnatus ob id ab e.)  
Aristotele. Attamen rectius statuitur, tunc demum visionem peragi,  
si species ab objectis effusæ per humorem aqueum, crySTALLINUM &  
vitreum penetrant atq; in retiformi tunica, aut si hæc rarior sit, in u-  
veâ f.) terminantur.

d.) Vid. Zabarellam lib. 2. de visu cap. 1. e.) de Sens. & Sensil. cap. 2. f.) Vid.  
Vossium l. c. p. 844. Kyperum Inst. Phys. lib. 8. cap. 5. p. 481.

§. 7. Declarari res optimè potest duobus experimentis; quæ recen-  
tiorum curiosa sagacitas invenit & ad hanc litem dirimendam scitissi-  
mè adducere g.) solet. Eorum primum est repræsentatio specierum  
visibilium per vitrum opticum in obscurato conclavi, quam arbitran-  
te Vossio primus ingeniosè reperit & luculenter exposuit h.) Joh. Ba-  
ptista Porta. Si enim Cameram quandam obscures ita, ut ne mini-  
mum lumen admittatur, relicto unico foramine exiguo, & huic vi-  
trum ad convexitatem politum applices, eidemq; opponas chartam  
albam aut aliud vicem ejus supplens, videbis ea, quæ foris apparent,  
in chartâ vivis coloribus inverso tamen situ depingi. Quod si libue-  
rit res naturali situ ad objectam chartam repræsentare, infere vitrum  
illud orbiculare tubo & hujus extremitati in justâ distantia iterum a-  
liud ejusdem speciei, quod itidem in medio crassius sit quam ambitu,  
& habebis, quod optabas. Eadem ratio in visione naturali obtinet:  
uti enim species visibiles per vitrum in isto artificiali oculo (ita nobile  
illud inventum nominare liceat) ad chartam penetrant: Simili modo  
per humores oculi procedunt ad retiformem vel uveam usq; tunicam  
atq; in eâ objectum, unde emanarunt, suis coloribus exprimunt.

g.) Vossius cap. 23. p. 844. & 25. p. 851. Kyperus l. c. p. 480.

h.) in Mag. Nat. lib. 17. c. 6.

§. 8. Clarior adhuc evadit sententia hæc ex altero experimento, quod  
unicuiq; facili negotio tentare licebit. Nimirum assumas oculum &  
artificiosè tunicam corneam à posticâ circa nervum opticum parte se-  
pares, post oculum istum rei lucidæ objicias, & ecce in eo exterius il-  
lud

lud visibile expressum apparebit. Hæc igitur experimenta cum neminem de veritate hujus asserti sollicitum dubiumve manere patiantur; id unicum superest, ut tricæ, quibus nos emissarii irretire fatagunt, expédiantur.

§. 9. Primus autem hic prodeat Galenus i.)cujus  $\pi\rho\omega\tau\omega\nu \psi\epsilon\upsilon\delta$  & impurus fons, ex quo omnia ejus argumenta scaturiunt, est ipsius objecti visibilis cum repræsentativâ specie confusio. Et primò k.) quidem objicit: Si visio fit per receptionem in oculo, non potest rerum magnitudo videri. Quomodo enim magnitudo montis per foramen pupillæ, quod satis exiguum est, ingredi in oculum posset?

i.) de Hipp. & Plat. decret. lib. 7. cap. 5. & 7.

k.) Ejusdem generis est, quod de exercitu objicit Macrobius l. 7. Saturn. c. 14.

§. 10. Sed cadit hæc objectio, si discernatur magnitudo realis ab intentionali: illa ob molem in oculum introire nequit, hæc in tunicâ retiformi vel uveâ se optimè sistere potest. Nec est, quod regerat aliquis, magnitudinem extra subjectum suum sive materiam, quam denominat, non existere. Id enim concedo de quantitate reali, de intentionali pernego. Illustro rem simili quodam: Non aliter se visio hîc habet ac Phantasia, quæ licet exiguo capite contineatur, imaginandò tamen magnitudinem montis, quanta potest esse, maximam comprehendit sine materiâ.

§. 11. Pergit Galenus: si res in oculo videntis recipitur, sequitur eandem numero rem non esse unam, sed plures, quia simul à pluribus videri ac in eorum oculis recipi statuitur. Sed obtineret hoc Galenus contra nos, si ipsa corpora aut materiales ejus species ad oculum pervenire doceremus: l.) Cum verò suprâ istam opinionem alienam planè à nostrâ esse dictum sit, non amplius ista objectio nos ferit. Etenim non inviti fatemur rem ipsam, uti nec in ullius, ita longè minus in plurium oculis posse recipi: Hoc tamen non obstat, quò minus speciem atq; imaginem suam multiplicare & ad totum circumstans perspicuum queat diffundere. Sic idem numero sonus aut sermo ex hominis ore procedens simul in auribus multorum percipi absq; falsitate aut contradictione dicitur: Cur ergò non & idem numero visibile ab oculis plurium eodem tempore recipi per species posset?

l.) Conf. Scalig. Exerc. 298. sect. 14.

§. 12. Objicit ulterius: Si visio in specierum visibilium receptione consistit, sequitur figuram objecti in speculo conspici non posse. Ut enim ponatur colores in oculum pervenire, quia in speculum incidentes

tes à politâ ac lævi ejus superficie refringuntur. Hoc tamen de figura dici nequit, quæ in quâdam concinnitate partium consistit, quam tali refractione tolli ac destrui necesse esset. Sed redit eadem, quæ hactenus Galeno inculcata est, responsio. Ponamus enim materialem figuram salvâ ejus essentia manente, quæ in illa partium harmonia, consistit, frangi non posse: non tamen exinde colligere licet, imaginem etiam, quæ figuram repræsentat, à speculo ad oculum reflecti non posse.

§. 13. Tandem urget Galenus contra Aristotelem confessionem propriam. Hic enim m.) naturam iridis declaraturus, refractionem visus, sive, prout Galenus interpretatur, radiorum visualium fieri scribit, atque sic fatetur visionem fieri per radiorum ad objectum usque procedentium emissionem. Sic & in causam inquirens, cur quidam (quem Antiphontem Oretanum fuisse existimant,) imaginem suam in aëre tanquam in speculo cerneret, rationem hanc reddit, quod visuales radii ob summam debilitatem in aëre propinquo frangantur, atque sic ab aëre tanquam à speculo ad eum reflectantur. Ibidem scribit nihil referre, utrum egressu radiorum ab oculo ad rem visam, an verò progressu speciei à re visâ ad oculum fieri visionem statuamus n.) Colligit exinde Galenus vidisse Aristotelem sententiæ suæ absurditatem o.) difficultatemque in explicandis phænomenis inexplicabilem; hinc eum tacitè, cum apertè confiteri erubuerit, sententiam suam cum illa Platonica permutasse.

m.) lib. 3. Meteor. c. 2. 3. n.) huc facit etiam, quod l. 2. de Cælo cap. 8. text. 48. visum in cælum ferri scribit, atque hac de causâ stellas tremere. It. sect. 23. probl. 6. transmitti visum per meatus maris. Et problem. 23. nigrum vocari, per quod non penetraret visus. Conf. sect. 31. probl. 4. 11. 15. 16. 21. 29. 0.) Idem de Aristotele suspicatur Vossius l. c. p. 848.

§. 14. Quamquam a. objecta Philosophi Autoritas tantum apud me, qui liberè philosophandū censeo, nequaquã valeat, nec vanâ multisque solitâ religione ad capeffendas omnes ejus opiniones obligari me pati ar, juvat tamen pro eo defendendo, quæ non cæcus amor, sed veritas suggerit, proponere. Equidem non laborabo, visum de radiis ab objecto visibili ad oculum sparsis cum Liceto p.) interpretari; dabo potius Galeno, Aristotelem locis citatis Platoniam de emissionem radiorum ex oculis ad objectum opinionem acceptasse. Distinguendum tamen esse existimo, inter constantem ac veram opinionis approbationem & inter temporariam saltem sententiæ alicujus usurpationem.

Solet

Solet Aristoteles q.) quandoq̄ alienis & erroneis opinionibus ad ali-  
quid explicandum uti, si istæ sint notiores ac magis receptæ & ad de-  
clarandam materiam nihil referat, hæc vel aliã uti. Eãdem ratione ma-  
luit Aristoteles in locis allegatis Platoniam de visionis modo senten-  
tiam adhibere, non ex oblivione & inconstantiã, ac si eam verio-  
rem agnoverit, sed quod vulgata magis esset & ad explicandam substra-  
tam materiam æquè idonea. Vera igitur Philosophi sententia ex do-  
ctrinæ de visu propria sede est petenda, ubi non perfunctoriè, sed ex  
professo hæc de re differit.

p.) de Lunæ luce lib. 2. c. XI. q.) ut ipse faterur lib. 3. Meteor. cap. 2. Conf.  
Zabarella l. c. Conimbricenses in Meteor. tract. 4. c. 5. & lib. 2. de An. c. 7. q. 7. art. 2.  
Scaliger Exercit. 80. sect. 7.

§. 15. Galenicis hisce Argumentis succedunt alia, quibus nos Ad-  
versarii majore nixu, quam effectu, premunt. Primò r.) dicunt: si so-  
la specierum receptione visio absolvitur, æquè benè ac distinctè vide-  
bunt omnes; quod tamen non evenit. Sed facile deprehenditur ob-  
jectionis hujus debilitas ex eo, quod auditus receptione soni fiat & ta-  
men pro diversâ aurium dispositione apud omnes æqualis non fit. Sic  
& non omnia lævia, ut propius ad scopum deveniam, eodem modò &  
gradu recipiunt imagines: aliter n. istos recipit aqua fluida, aliter con-  
gelata, aliter vitrum concavum, convexum, planum, sphericum &c.  
Et tamen non emittendo, sed patièdo species accipiunt. Similis est  
ratio in visu, qui pro varia organi habitudine modò acrior, modò he-  
betior est. Si enim humores impuri & crassiores sunt, species per eos  
minus distinctè apparent: Et si longius à pupilla, observante Vossio  
f.) distat retina, solum propinqua, sin propius, tantum longinqua vi-  
dentur.

r.) Scaliger Ex. 298. sect. 16. f.) l. c. p. 843.

§. 16. Porro opponunt ex nostra sententia necessariò inferri, quod  
& apertis oculis dormientes viderent, quia & eorum oculi visibiles spe-  
cies reciperent. Verum falluntur in eò, quod credant in sola specie-  
rum receptione à nobis visum constitui: nos enim non excludimus de-  
clinationem receptæ speciei ad sensum communem, quæ animalium spi-  
rituum functio est. Quando n. in tunica retiformi vel uveã receptæ  
sunt objectorum imagines, deferuntur ad cerebrum ab animalibus spi-  
ritibus, qui per nervum opticum copiosè effluunt. Fit a. quasi per mo-  
dum undulationis spirituum, dum spiritus in organo existens impres-  
sam sibi speciem vicino spiritui imprimit, & hic rursus alteri, donec ad  
cerebrum, sensus communis sedem perveniant.



217 553  
§.17. Quamquam ergo imagines in oculum se insinuent, dormiens tamen non sentit eas, quia spiritus optici non sunt praesto & species receptas ulterius ad cerebrum deducunt. Nam si somnus obrepit aliquando, obstruuntur nervi sensorii a vaporibus ex ventriculo in cerebrum ascendentibus, hujusmodi frigiditate condensatis; ut proinde spiritus sensitivi ex cerebro & sensorii ad interiora retrocedere t.) cogantur.

t.) Vid. Vossius cap. 34. p. 886. & Dn. Thomae in Phys. c. 50. n. 42. & 44.

§.18. Tandem objiciunt Emissarii varios casus, quorum causas ex hac hypothese prorsus inexplicabiles esse, ex eorum autem mente nullo negotio decidi posse arbitrantur. Id verò ut falsò ab iis statui appareat, de singulis istis casibus rationes adducere conabor. Primo dicunt, unde est, quod Antiphonti imago sui semper ante oculos observari visa est? nisi quia radii ab ejus oculis profilientes nec aërem penetrare valentes, ad ipsum reperiiebantur. Nos respondemus u.) id factum esse, vel ob humorem viscidum ab ejus morbido corpore effluentem & aërem propinquum ita condensantem, ut instar speculi imaginem ejus receperit: Vel, quod probabilius est, Antiphontem istum phantasia malè sanã sibi imaginatum esse in aëre talem formam, quæ revera tamen ibi non apparuit x.)

u.) Conimbr. Meteor. tr. 5. c. 2. x.) Faciunt huc verba Aristo. de mem. & reminisc. c. 1.

§.19. Deinde quod aërem nebulosum non propinquum, sed remotum videmus, (nam & hoc nobis opponunt) non inde est, quod radii ab oculis egressi prope oculum sint fortiores, ut omninò transeant, postea debilitati in aëre terminentur. Sed quia translucidi corporis partes, ut bellè Scaliger z.) observat, ob spatii, per quod videmus, amplitudinem in recta linea condensati corporis speciem præbent.

z.) Ex. 61. sect. 3. Conf. Vossium l. c. p. 856.

§.20. Tertio quaeritur, cur accurate rem contemplaturi oculos contrahamus? Emissarii se expediunt dicendo, quod constrictis oculis fortius exprimantur visivi radii & ita ex coangustato loco egredientes magis uniantur. Nos contra dicimus id ideo fieri, ne lux ingerens intermedia visui eundem debilitet ac species visibiles dissipet. Denique perspicillis adjuvandum visum utimur, non ut radii visivi colligantur & magis uniti ad objectum procedant. Sed ut imagines accuratius atque expressius à convexo & concavo vitro excipiantur & ita propinquiores & distinctiores oculum ipsum subeant. Pari facilitate & si quæ sunt reliquæ difficultates, solvuntur.

### COROLLARIA.

1. Peccavit Abrahamus, qui de Sara uxore sua interrogatus respondit: Soror mea est.
2. Rahab non peccavit, quando exploratores Israeliticos apud se latere falsò negavit.
3. Imperium Viri in Uxorem non unice ex patrato mulieris scelere arcessendum.
4. In historiis licet argumentari negativè.
5. Synecdoche non erat distinctus à Metaphora tropus Aristoteli.



MONS

Seign

Monsieur

JE confes  
à Vostre  
de tant de  
aussi ne veu  
pour la Vo  
Vostre sing  
lesquels je  
plait, de bon  
Bienveillan  
Prosperité,  
naire avec

M

LLAUME

enrihagen  
c.

écriture, dressée  
m, ne soit pas  
estre offerte;  
propre dignité  
os Merites, de  
Vos Bienfaits,  
onc, s'il Vous  
ligne de Vostre  
eu pour Vostre  
ay à mon ordi-

tres-obligé  
ar

RIVIN.

